



Haftenus de isto. Nunc enim, in cuius honorem haec praefatus sum, commendandus est

## VIR

PRAENOBILISSIMVS ET DOCTISSIMVS  
IOANNES HENRICVS HOFFMANN,

IVR. VTR. CANDIDATVS ET CAVSARVM APVD WVRTZENSES  
PATRONVS,

qui ad nos venit, vt, superatis examinibus, summos in iure honores, quibus dignissimus ab Ordine nostro iudicatus est, peteret. De vita autem sua enarrat Ipse haec:

*E*go, IOANNES HENRICVS HOFFMANN, natus sum Tauchae, oppiduli prope Lipsiam siti, anno huius seculi LXX. die IX. mensis Ianuarii, Patre, IOANNE HENRICO HOFFMANN, tum temporis munere Advocati fungente, nunc vero uectigalium, quibus Accisae nomen est, Inspectore et Reuerendi Capituli Wurcenensis Syndico; Matre, FRIDERICA ELISABETH, e gente HAMMERIA. Dilectissimis his Parentibus, qui ex singulari Dei beneficio adhuc superstites sunt, semper curae cordique fuit, vt saluti meae, quantum fieri posset, consulere. Quare eorum operam, in me educando formandoque adhibitam, semper gratissima mente colam, Deumque precatus, vt iis semper salutem prosperrimam praebet. Prima litterarum rudimenta praesertim domesticis institutionibus debeo; annum vero XIII. agens, iussu patris in scholam prouincialem, quae Misenaefloret, me contuli, ibique in numerum alumnorum receptus bonarum artium studia pro viribus persecutus sum. Quinquennio in illustri Afraneo praeterlapso, anno huius seculi LXXXVIII. die XXII. mens. Aprilis sub auspiciis b. PEZOLDI,

tunc